

164. *In quæstionibus facti, ac in possessorio, laico existente reo, non privative pertinet causa ad iudicem laicum, sed datur locus præventionis, estque fori mixti.* — Quæritur II. An in possessorio, in quo sola movetur quæstio facti, reo existente laico, in causa decimarum laicus solus debeat esse iudex, ita ut privative procedat, omnemque iudicem ecclesiasticus in petitorio ejusdem causæ privative excluso laico iudice procedit? Resp. negative, sed esse mixti fori, darique locum præventionis, ita ut in potestate actoris sit, an coram iudice ecclesiastico, vel laico in possessorio et quæstione facti convenire velit laicum Covarruvias, *Pract. quæst.* cap. xxxvnum. 2. vers. Secundo. citans communem Pirhing, h. t. n. 162; Engel, h. t. n. 59; Fachin., lib. VIII. cap. xv. § *Igitur si laicus.* et alii, arg. c. *Cum generale.* 8, de *Foro compet.* ubi actoribus conceditur, « quod possint, sub quo maluerint iudice, convenire laicum, » et c. *Pervenit.* 5 c. *Nuntios.* 6. *Cum homines.* 7. c. de *Terris.* 16. h. t. ubi universaliter conceditur iudicibus ecclesiasticis, ut laicos ad solutionem decimarum compellere possint, etsi sola sit quæstio facti. Ratio est, quia etsi in causa decimarum nuda proponatur quæstio facti, tamen semper aliqualem dependentiam habet a proprietate, ut proin iudex ecclesiasticus de facto æque ac de jure cognoscere valeat, præsertim, cum qui iudex est petitorii, et possessorii sit. II. *Nulli.* 10. et ibi Glossa, c. de *Judic.*; Schrader, de *Feudis.* p. X. sect. 1, n. 78.

165. Infertur proin, quod licet iudex sæcularis teneatur causas decimales in petitorio ad se delatas, remittere ad iudicem ecclesiasticum per jura n. 159. allegata, docetque per plura Mynsinger, cent. 1. observ. 100; Zoësius, ad l. *Quoties.* n. 13. c. de *Judic.*; Engel, de *Foro competent.* n. 81, non tamen e contra iudex ecclesiasticus similem causam in possessorio sibi propositam teneatur remittere ad iudicem laicum: nisi velis cum aliquibus excipere casum quo agitur de decimis laicalibus juxta dicta n. 160. ad finem.

166. *Allegantur statuta et concordata Bavaricæ.* — Eadem sententia, quod nempe in possessorio decimarum sit locus præventioni in concordatis Tyrolensibus cum episcopo Brixensi initis reperitur teste Werndl, de *Decimis.* lib. IV. Estque conformis statutis et concordatis Bavaricæ, uti liquet ex titulo XXVIII, a 25, docetque ibi Schmidt, et spe-

cialiter in *Semcent.* 2. coal. 2. 4. Verba statutor. Bavaricæ, quæ in loc. cit. ita sonant: « Wer in Zehens Sachen, so wohl wann es umh das Zehenthumb, als Inhaben zu thun, Richter seyn solle, ist hiervon in dem concordats-Recess anno 1585 mit denen in-und umbligenden Bistumben Fursehung geschehen. Damit aber manniglick dessen Wissensafft habe, ist solcher articul concordats-recess von Wort zu Wort allhier einverleibt, und lauttet, wie folgt. Also solle auch denen Herrn ordinariis in Erkandnuss deren Zehent Sachen ihr Recht unbenommen seyn, doch gehören die selbe in etlichen gewissen Füllen, so in Rechten zugelassen, auch fur die weltliche Obrigkeit, als die jenigen, darzu nunmehr die Layen Recht haben und da beyde Partheyen, oder, der beklagte allein ein Loyist: Item in denen zeitlichen Zehents-Contracten, de allein die Frucht der Zehenten auff ein Zeit verkaufft, oder verlassen worden: auch da umb die Bezahlung oder Ausstand, oder Inhaben, der blosser Streit und Frag ist, und dessen Eigenthums halber nichts eingestruet worden, und was dergleichen Fall mehr seyn, daruber die Recht, und deren Erfahrne zu horen. »

167. *In actione decimarum, nomen actionis necessarie non est exprimendum.* — Quæritur II. Quænam actio pro decimis instituetur, et quomodo tractanda? Item an detur appellatio in causa decimarum? Resp. I. de jure canonico « non est necesse in causa decimarum libello inserere nomen actionis, qua agatur, sed sufficit factum ita apte narrare, ut iudex sine alia expressione possit colligere, quæ actio competat agenti, » ita in terminis Barbosa, in c. *Dilecti de Jud.* n. 4; idem ibid. n. 1. docet Abbas, Moneta, de *Decimis.* cap. VIII. n. 38; Hostiensis in c. *Parochianos.* 6. de *Jud.* §. *Actio intentetur.* arg. cit. c. *Dilecti.* 6. eod.; ibi « Provideatis attentius, ne ita subtiliter, sicut a multis fieri solet, ejusmodi actio intentetur, sed simpliciter, et pure factum ipsum, et rei veritatem secundum formam canonum, et sanctorum Patrum instituta investigare curetis. » Imo nec de jure civili amplius necesse est, actionis nomen in libello exprimere, I. II, c. de *Formul. et impetrat. act.* ibi: « Nulli prorsus non impetrata actionis in majori, vel minori iudicio agenti opponatur exceptio, si apte rei, et proposito negotio competentem, eam esse constiterit, » et hic legiste communiter.

## § IX.

## DE PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS.

Altera pars rubricæ hujus tituli de primitiis, et oblationibus est. Circa quas

171. *Primitiæ, quid, et unde?* — Quæritur I. Quid sint, an, quo jure, et cui debeantur Primitiæ? Resp. I. Per Primitias intelliguntur, primi fructus, qui ex terra et humo gignuntur, puta, agrorum, vinearum, horum, arborum, etc. Communis, atque desumitur ex *Exod.* cap. xxiii. *Deuteron.* cap. xxvi. *Num.* cap. xviii, 42. ibi: *Quidquid offerent primitiarum, et Domino, universa frugum initia, quas gignit humus, et Domino deportantur, cedant in usus tuos.* Vocantur primitiæ, tum quia primi fructus per textum citatum; tum quia optimi, sive primi bonitate. Barbosa, in *Rubr.* h. t. 6; Sylvester, §. *Decimæ.* n. 1. in fine, per textum *Num.* xviii, 41, 42; ibi: *Omnem medullam vini, olei, et frumenti, quidquid offerunt primitiarum,* etc. Qui primi et optimi fructus ex præcepto divino olim offerebantur Domino insignum recognitionis et gratitudinis debitæ.

172. *Sunt quadragesima vel sexagesima pars.* — Non intelliguntur autem, nec olim intelligebantur primitias omnes primi fructus alicujus terræ, agri v. g. aut vineæ, ut bene observat Engel, h. t. n. 61. nec erat quantitas certa determinata, sed olim « erant arbitrio offerentium (circa quantitatem) derelictæ, » c. i. h. t. postea vero ab Ecclesia quantitas in statutum fuit determinata, ut nemo plus quam quadragesimam dare teneretur, et nemo minus quam sexagesimam dare posset de primis fructibus, uti expresse habetur cit. c. i. h. t. quæ determinatio, ut ibidem dicitur, facta est « propter sacerdotum avaritiam, ne amplius a populo exigant in primitiis offerendis. »

173. *Primogenita, quid?* — Ad primitias reducuntur primogenita, suntque primi partus tam de hominibus, quam de animalibus, Deo specialiter offerri, et sacrificari debebant juxta c. xviii, 45, n. 5; ibi: *Quidquid primum erumpit e vulva, euncta carnis, etc., tui juris erunt, etc., ita duntaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipitis.*

174. *Primitiæ olim obligabant de jure divino.* — Resp. II. Primitiæ in lege veteri obligabant ex jure divino positivo. Ita communis, et constat ex locis Scripturæ n. 1. jam allegatis, c. xxii, 29. Eod. ibi: *Primitias tuas non tardabis reddere, et xxiii, 22, Solemnita-*

168. *Proceditur in ea de plano ac simpliciter.* — Resp. II. In causa decimarum procedi potest simpliciter, et de plano, rejecta nimia jurium subtilitate, et strepitu judicii; Barbosa, de *Offic. et potest. paroch.* p. III. cap. xxviii, § 4. n. 5; Moneta, de *Decimis,* c. viii. n. 41. et communis aliorum arg. Clem. 2. de *Judiciis.*; ibi: « Statuimus, ut super decimis, etc. de cæteris simpliciter, et de plano sine strepitu judicii et forma procedi valeat. » Concordat, c. *Litteras.* 2. de *Juram. calum.* Ratio est, quia nimia subtilitas ad perniciem revertitur, l. penult. c. ad *S. C. Trebellian.* et in quæstionibus de æquo et bono (quales juris canonici sunt) plerumque « sub auctoritate juris scientiæ perniciose erratur, » l. *Si servum.* 91. § *Sequitur.* ff. de *Verb. obligat.* Observat tamen Glossa, in cit. Clem. 2. h. t. §. *Valeat.* non invalide agi, si juxta juris apices agatur; quia Papa non dicit, quod debeat, sed quod possit de plano agi.

169. *In causa decimarum condemnatis ad solvendas decimas non datur appellatio suspensiva, bene tamen devolutiva.* — Resp. III. Debitoribus decimarum ad solvendum condemnatis non datur appellatio quoad effectum suspensivum in ordine ad retardandam executionem. Barbosa, loc. cit. n. 7; Rebuffus, de *Decimis.* q. 15, a. 21; Vivianus, decis. 73, n. 1. et seqq.; Moneta, de *Decimis.* cap. viii. n. 18. et communis aliorum, arg. c. *Tua nobis.* 26, h. t. in fine; ibi: « Ad decimas cum integritate solvendas appellatione remota compellas: » habet tamen talis appellatio effectum devolutivum, ut citati doctores intelligunt textum, et late iradit Sigismund. Scac., de *Appellat.* q. 17. limitat. 18, n. 5.

170. *Limitatur in tribus casibus.* — Limitatur autem conclusio primo, in casu, quo agitur cum persona ecclesiastica, quæ contendit potiora se habere jura; Barbosa, loc. cit. et in c. *Tua.* 28. h. t. n. 9. et ibi Hostiensis, n. 22. §. *Item secus.*

Secundo quando duæ Ecclesiæ contendunt de jure decimandi. Barbosa et Hostiensis, loc. cit.; Scac., loc. cit. n. 3. Rota in *Corduban. decim.* 2. decemb. 1605, coram card. Pamphilio.

Tertio, quando collector in decimando excedit modum. Barbosa, loc. cit.; Scac., loc. cit. n. 4. quia ab excessu datur appellatio. (ADNOTATIO L.)

tem messis primitivorum operis tui, quæcunque seminaveris in agro, etc., custodies, cum concordantiis.

175. *Primitiæ secundum substantiam olim erant, et adhuc sunt de jure divino.* — Resp. III. Primitiæ secundum substantiam, quatenus nempe pertinent ad honestam sustentationem ministrorum Ecclesiæ, etiam in lege nova adhuc sunt de jure divino: formaliter autem sumptæ, seu pro certa quantitate, solo jure humano obligant. Prima pars docetur a Gutierrez, *Can. quæst.*, lib. II. cap. XXI, n. 6; Didaco Perez, in lib. I. tit. V. lib. V. *Ordinament*; Glossa, in can. *Ecclesia*, 1, cau. 13, q. 1. v. *Primitias*; Barbosa, *de Offic. et potest. paroch.*, p. III, cap. XXVII, n. 5. Probaturque ex can. *Revertimini*, 65, cau. 16, q. 1, ubi decimæ ac primitiæ quoad substantiam eodem jure divino obligari supponuntur, et c. *Tua*, 26, h. t. ubi primitiæ etiam pro moderno adhuc statu juris divini esse, patet ex verbis, quibus dicitur, « quod sicut decimæ, ita et primitiæ obligent, et etiamnum suas esse decimas et primitias Deus asseveret. » Hinc etiam hodie si necessariis caret ministri Ecclesiæ, non minus *Primitiarum*, quam decimarum eos sustentare teneretur populus. Altera pars patet ex can. *Revertimini*, 65, cau. 16, q. 1, et can. *Præter*, 6, dist. 32, in fine; ibi: « Primitiæ fideliter reddantur a laicis. »

176. *Primitiæ formaliter sumptæ, quæ, et quantæ? adhuc debentur, nisi consuetudo obstet.* — Resp. IV. Quamvis primitiarum quantitas ab Ecclesia sit determinata in tantum, ut nemo plus quam quadragesimam partem dare teneretur, et nemo minus quam sexagesimam partem de primis fructibus dare posset; tamen hodie standum est locorum consuetudinibus. Prima pars aperte constat ex c. r. h. t. ubi expresse habentur illa verba: « Quod igitur in Pentateuco dubium derelictum est, hic specialiter definitur propter sacerdotum avaritiam, ne amplius (quam specificatam quantitatem) a populo exigant in primitiis offerendis. » Quæ verba tam clara sunt, ut mirum sit, aliquos doctores docere non dubitasse, primitiarum quantitatem ab Ecclesia nullibi esse determinatam. Secunda pars probatur ex prima, hoc ipso enim quod certa primitiarum quantitas sit introducta sola lege humana, huic autem deroget consuetudo legitime præscripta c. fin. *de Consuetud.* consuetudini ejusmodi haud dubie standum erit.

177. Porro quamvis primitiæ formaliter sumptæ, utpote solo jure humano determinatæ, per consuetudinem omnino abrogari possint, ac plurimis in locis abrogatæ videantur, tamen fatendum cum Rebuffo, *de Decimis*, q. 1, n. 21, quod ex consuetudine non dandi primitias, aliqua saltem ingratitude inducatur contra Deum, a quo tam abundanter cuncta proveniunt. Certe confundimur a gentilibus, utpote qui præsertim Romæ vina et fruges novas non gustabant, priusquam primitias obtulissent diis suis. Quamvis non desint, qui sanctissima devotione adhuc hodie primitias et primogenita in debitam gratitudinem, Deo honorum omnium largitori offerre solent.

178. *Debentur primitiæ parochi.* — Resp. V. Primitiæ de jure communi, et nisi consuetudo aliud habeat, debentur parochi, ut decimæ. Barbosa, *de Offic. et potest. paroch.*, p. III, cap. XXVII, n. 8; Rebuffus, *de Decimis*, q. 1, n. 16; Gutierrez, *Can. quæst.*, lib. II, cap. XXI, n. 11; Pirhing, h. t. n. 172, et alii, arg. can. *Doctos*, can. *Moderamine*, 23, cau. 16, q. 1. Ratio est, quia Primitiæ inter jura parochialia reputantur.

179. *Oblationes quid? — Quæritur II. Quid sint oblationes, an, et cui debeantur?* Resp. I. Oblationes proprie et improprie accipi possunt. Improprie, ac valde generice tales sumuntur pro omni illo, quod Deo, et Dei intuitu Ecclesiis, aliisque locis piis, aut etiam sacerdotibus datur et offertur: in qua significatione etiam primitiæ veniunt ac decimæ, prout de decimis patet ex Genes. XXVIII, 22, ibi: *Decimas offeram tibi*: et Num. XVIII, 26, *Decimarum obligationem*, et de *Primitiis*, ibi: Primitias offerunt, ibid. 12. Proprie vero ac strictè, atque ad propositum *Oblationes* dicuntur res illæ, quæ fideles religionis intuitu per se, vel per alios in Ecclesia ad altare, aut in alio Ecclesiæ loco, aut etiam extra Ecclesiam ad imaginem miraculosam, vel devotam v. g. pro dono offerunt ad hoc, ut in usum Ecclesiæ, vel ministrorum Ecclesiæ cedant. Ita in re communis, signanter Barbosa, *de Offic. et potest. parochi*; Tuschus, litt. O. Conclus. 11, n. 1; Van Espen., in *Jur. Eccles. univ.* p. II, tit. XXXIII, cap. X, n. 5, textu claro arg. c. *Cum inter*, 29, *de Verb. signif.*

180. *Quæ earum nomine veniant?* — Inferitur non solum ea, quæ sub Missa offeruntur, nomine *Oblationum* venire, prout vulgus communiter aestimat, sed etiam quæ sine

Missa in, vel extra Ecclesiam (secto modo offeruntur, puta, pro purificatione mulierum, vel desponsationis, vel pro aliis similibus functionibus sacerdotis, aut etiam in Ecclesia, vel capella, vel oratorio, vel extra ad imagines, etc., offeruntur et collocantur, prout ad longum refertur, cit. c. *Cum inter*, 29, *de Verb. signif.* licet ibidem ea quæ sub Missa offeruntur, *oblationum* nomine primario ponantur, prout liquet ex sumario et textu, ibi: « Oblationis nomine intelligitur, quidquid offertur Ecclesiæ, quocunque modo in Missa vel extra, et in Ecclesia vel extra. »

181. *Oblationes per se non obligant.* — Resp. II. Per se loquendo, nec divino nec humano jure debentur oblationes. Divus Thomas, 2. 2. quæst. 86, a. 1; Abbas, in *Rubr. de Paroch.* n. 3; Barbosa, *de Offic. et potest.* p. III, cap. XXIV, n. 9; Pirhing, h. t. n. 174; Sylvester, v. *Decima*, q. 2, cum communi aliorum. Et quidem, quod jure divino non obligent, inde probatur; quia lex divina in Testamento Veteri eas præcipiens, per legem gratiæ sublata est, utpote carnalis: in novo autem testamento renovata vel nova posita non reperitur. Pariter, quia nulla apparet in jure lex, eas præcipientes, nec jure humano obligabunt. Ratio est, quia *Oblationis* nomine ex se et natura sua significatur munus voluntarium, quod quis sponte ac libere offert, juxta illud Psalm. LIII, 8. *Voluntarie sacrificabo tibi*. Azorius, p. I, lib. VII, cap. XXXVII, q. 11.

182. *Solvuntur textus juris.* — Obijcies varios juris textus, ut can. *Omnis christianus*, 69, dist. 1, *de Consecrat.*; ibi: « Omnis christianus procuret ad Missarum solemniam aliquid Deo offerre, et ducere ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit: non apparebis in conspectu meo vacuus. Etenim in collectis sanctorum patrum liquido apparet, quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu sanctorum Patrum debent. » can. *Statuimus*, 55, cau. 16, q. 1, ibi: « Oblationes quas populus dare debet. » concordant can. *Quia sacerdotes*, can. 10, q. 1, et can. *Duo*, cau. 12, q. 1. Respondetur cum citatis doctoribus et communi aliorum, hos et consimiles canones intelligi debere in casu, quo ministri Ecclesiæ egent necessaria sustentatione, vel quo oblationes vi longæ consuetudinis sunt debitæ, prout patet ex cit. can. *Omnis*, 69, dist. 1, *de Consecrat.* per illa verba: « Ex usu sanctorum Patrum christiani aliquid offerre debent, » quibus

satis innuitur, hanc obligationem ex usu et consuetudine provenire consequenter, ubi hæc non viget, obligationem non currere, nisi alius obligationis titulus adsit, juxta statim dicenda.

183. *Adducuntur casus, in quibus oblationes non obligant.* — Nam limitatur conclusio in quatuor præcipue casibus adductis a sancto Thoma, loc. cit. quem theologi et canonistæ in hoc passim sequuntur.

Et primo quidem, quando desuper a populo, vel aliquo in particulari cum Ecclesia conventum est, ut si v. g. ei ab Ecclesia confertur fundus, vel ager cum hoc onere, ut certis temporibus oblationes faciat, divus Thomas, loc. cit.; Abbas, in *Rubr. de Paroch.* n. 3; Barbosa, loc. cit. n. 10, h. t.; Pirhing, n. 174. Ratio est, quia omne pactum servandum est: l. I. prin. ff. *de Pactis*.

Secundo, si quis obligatus existit ex testamento, legato, voto, vel donatione inter vivos, doctores citati cum Rebuffo, *de Decimis*, q. 1, n. 24, caretque controversia.

Tertio, quando ministri Ecclesiæ non habent necessariam sustentationem, prout contingere potest, si in aliqua parochia decimis vel ex toto, vel ex majori parte ad alios pertinentibus, parochus redditus pro sustentatione honesta sufficientes non habet. Divus Thomas, Abbas, Barbosa, Pirhing, loc. cit.; Gutierrez, *Can. quæst.*, lib. II, cap. XXI, n. 139. Ratio est, quia ex quo ministrat populo spiritualia, meretur ab eo temporalia, c. *Si Episcopus*, 6, *de Offic. ordin.* n. 6. Et *Dignus est operarius mercede sua*. Quod si tamen in tali casu populus oblationes omitteret, non posset ei propterea divina subtrahere parochus, sed deberet recurrere ad superiorem, cujus foret in tali casu populum etiam per vim excommunicationis compellere, prout bene observant Abbas, loc. cit.; Covarruvias, *Variar. resolut.*, lib. I, cap. XVII, n. 3; Glossa, in can. *Statuimus*, 55, cau. 16, q. 1. ¶ *Oblationes*, nisi forsitan ipsi parochiani tam inopes essent, ut non possent sufficientes pro sustentatione parochi oblationes continuo facere: tunc enim parochus aliunde providere deberet episcopus, ut vult Hostiensis apud Gutierrez, loc. cit.; Pirhing, loc. cit. citans Suarez, et alii: vel parochus ipse manibus victum sibi quærere deberet, ut sentit Barbosa, loc. cit.; Gutierrez, loc. cit. ne parochianis onerosus existat.

184. *Specialiter ubi non est consuetudo.* — Quarto debentur oblationes, quando alicubi